

Hæc duo Epigrammata penè absoluto opere transmissa
seriùs advenerunt: in calce igitur adjecta fuisse, &
autores & lectores boni & æqui ignoscent.

Venit in amplexus tandem, quam pectore toto
Ardebas SOPHIAM, flos juvenumq; decus,
Illa revolventi patris monumenta laborum,
In partem veniet muneris arte nova,
Emeriti nam certa pii mensura laboris,
Hæc cumulabit opus semper honore novo;
Lata superveniet proles, qua munere divum
Certa per immensum proferet omne decus,
Hinc alia ex alia series numerosa laborum
Surget, in ora virum, qua revocabit avos.
Hoc faciet, qui cuncta suo sub numine torquet:
Ut suus in sanctis concelebretur honos.
Ergo refulgentem SOPHIAM tota accipe mente,
Imprudens opus ceptaq; nulla dabunt.

Joannes Matthias à Sudetis J. C.

Sic est: consortes hominem formavit ad usus
Conditor, & sociam jungere jussit opem.
Hinc sociam primo fœmellam junxit Adamo:
Hinc quoq; Sponse, tibi Sponsa petita data est.
Sponsa petita data est gaudii, consorsq; laboris,
Atq; comes vitæ chara, domusq; decus.
Ergo vos, superi junxit quos gratia foæa,
Punctos sic facili firmet amore precor.

Michaël Schmid Gorl. Luf.
Pragâ mittebat.



F I N I S.

Q. D. B. V. 1674.

FESTIVITAS NUPTIALIS
MICHAELIS GEHLERI
Philos. & Medic. clar.^{mi}

&
JOANNÆ LAMPELIÆ
Virginis lectiss.^æ

WITTIGOVIAE Bohem. x. Septemb.
AN. clo lcc xiv.
celebrata,

AB AMICIS GORLICENSIBUS
pio voto, lætabili plausu
honorata.

OS (*) SO



GORLICI
JOANNES RHAMBA EXCUDEBAT.

YYY121

NOVIS SPONSIS S.

Vir medicus multis aliis praestantior unus
 Iure appellari, magne GEHLERE, potes.
 Namq; arte atatem superas: dum totus Apollo
 In te habitat, formans mentem animumq; tuum.

Hinc Sophia abstrusos veteris laticesq; profundos
 Hausisti: ut jam sint omnia nova tibi:
 Nec te aliquid fugiat, vel quod celebrisve Galenus,
 Hippocrates Cous vel docuere suos.

Iure igitur Medicus multis praestantior unus
 Audis, & dici, magne GEHLERE, potes.
 Nunc tibi sunt Rosei Montis data sceptrum Lycaei,
 Quam SOBIESLAI moenia structa vides.

Laudum insignem aperis: passim tua fama per orbem
 Diditur, atq; impleri Solis utramq; domum.
 Hac cum laude tenuis flexisti sceptrum Lycaei,
 Aures dum praebeo docta juventa tibi.

Jam sceptrum affectas alia: & dare jura marita
 Niteris: idq; jubet te socialis amor.

Eligis ergo tibi praestanti corpore Nympham:
 Cum qua dulce tibi vivere, dulce mori.
 Sic sceptrum nunc longè alio, GEHLERE, potiris:
 Qua tibi post aures praebeat, uxor erit.

Et, quod sit felix faustumq; tibiq; tuaq;
 Fungite nunc dextras Numine propitio.

Adsit Eros, longè absit Eris: nec tadia tade
 Sint vobis: nec sit tristis amaror amor.
 Sed quid ago? vel cur strepere anser ego inter olores
 Ausus sum? quin me confero, SPONSE, domum.

Tot tantiq; Viri, & generoso sanguine creti,
 Te cecinere: ego qui fieri abeo: taceo.

Honoris & amoris ergo faciebat

GREGORIUS RICHTERUS GORL.
 Minister Ecclesiae patriae primarius.

Clamant

I.

Clamant ecce mei, nunc sunt Aphrodisia, versus:
 Cultoresq; nivos sacra parata vocant.
 Adproperant quatiuntq; faces Hymeneus Amorq;
 Et Juno ceston, & Venus ipsa parant.
 Quid cessas, GEHLERE? Deos venerare Deasq;
 Inprimis Veneri, vel sine thure, litae.
 En ut purpureos alabastrum pandat honores.
 Leniet ardores qua ROSA sola tuos!
 Carpe age, carpe ROSAM, carptamq; Cupidinis ungue,
 Ipsa Venus muto consecret Harpocrati.
 DI faciant, ut millo ROSAS ROSA proferat ista,
 Quarum, florebit dum Rosa, spiret odor.

II.

En tua Lampadium Phaebea lampadis instar
 Fulget, & ardentes vibrat ab ore faces.
 Fulgeat o longum Lampas tua fulgeat oro;
 Sic erit Eclipsis nulla timenda tibi.

III.

Sexcentos tibi mitterem Phaleucos,
 Phaleuci similes Catullianis;
 Hoc cum Musa neget, Catullianum
 Vostro mittere Passerem cubili,
 Vestro verius aut Thalassioni,
 Illum illum improbulum salaculumq;
 Et focus jubet, & jubet Cupido,
 Et Ludus jubet, & jubet Voluptas,
 Et quantum est Veneris pedissequarum,
 Quid effecerit ille pippiendo,
 Fac Lucina brevi sciamus omnes,
 Quotquot Conjugibus novis favemus,
 Atq; illis bona quaq; comprecamur,
 Nil jucundius est beatiusq;
 Propagem numerare quam frequentem.

Christophorus Arnoldus U. J. D.

A ij

Festa

Festa dies, ter festa dies! da thura, GEHLERE,
Thura maritali sunt adolenda die.
Adspicis, ut roseo LAMPELIA tincta pudore,
Ara adstans Sponsum supplice more petit.
I felix, dextroq; pium pange omine fœdus!
Adspicis? astrifera fulgur ab arce micat.
Faustum omen! scava non sunt portenta sinistra,
Cum bene conspirant infera cum superis.

CASPAR DORNAVIUS D.

MICHAEL.

Quis sicut DEUS! immoto connubia amore
fovens, suamq; GRATIAM,
quam Numen caeleste dedit, CONCORDIA concors
funxit, benignè nutriens,
Sponsus amans Sponsam sincero pectore, prabet
exemplar arcti fœderis
Christicolùm turba, & Christi JOVAEQ; favoris
ingentis in vas lubricum
humani generis, supplex quod mente fideli
oracula ejus pradicat.
Ut DEUS immensum moderatur cuncta per orbem:
Sic vir praest penatibus;
& lateris Costa DEUS est, fidosq; ministros
aquis coërcet legibus;
consilium vita vocat, auxiliumq; regenda
JOVAM patrem fidelium,
qui sibi fidentes, & lotos sanguine Nati
non deserit, sed adjuvat.
Sic DEUS ergo tibi sociali fœdere nexa:
Sic JOVA erit vobis DEUS.

ALIUD.

O felix! quòd non moriaris amore potitus
GEHLERE, Agnella mutua flamma tua.
O felix! quòd non moriaris amore potita
AGNULA, Gehleri mutua flamma tui.
Urite nunc, & amate, & amore perite perenni,
Dulce in amore pari vivere, dulce mori est.

V.

Amoris μελαμóρρωσις.

Quum sat mortalis facules lasisset, & arcu;
Mitius, inquit Amor, jam meditabor opus.
Ergo novam adsumens mutato corpore formam,
In viridi pascens gramine vadit ovis.
Quid non fata queunt? Medicus, quò colligat herbas,
Exit, & in viridi gramine cernit ovem:
Hæret, & admiratur ovem sine labe venustam,
Immemor herbarum è gramine raptat ovem.
Raptat, & arreptam cupidus amplectitur ulnis,
Cumq; onere hoc dulci gaudet abire domum.
Vidit idem, & risit factum Venus; ac ita fatur:
Non impunè meam raptor habebis ovem;
Pendebis meritò: sed quò pendere coactus,
Quum rapuisset api mella, Cupido cruce est.

VI.

ad Nomen GEHLERI Sponsi.

GEHLERUS audit Teutoni, quod Ausoni
Vel Flavius, vel Flavianus audiit:
Quod indè vates omen auspicabimur
Gratum auribus, raturq; Apollinaribus?
Num Flavia quòd gentis est is amulus
Virtute celsa, aut Flaviani Principis?
Est amulus virtute celsa Principis
Is Flaviani, gentis atq; Flavia.

B

Num
444121*

Num quod capillis flavicat dependulis?
 Et id capillis flavicat dependulis.
 Num plura arenis quod habet Hermi flavidis,
 Et cariora? cariora, & plura habet
 Flavus arenis Hermi, opes scientia.
 Num verba quod fundit suo de pectore,
 Musæ abundo nectaris de pectore
 Jucundiora flavis Hymetti favis?
 Jucundiora verba fundit is favis.
 Sed Agnulam quod nunc suam, pulcherrimam
 Suam Agnulam beatiorem fecerit,
 Quam Phryxi erat ovis flava vellere aureo,
 Hinc Flavius, vel Flavianus audiet,
 GEHLERUS inter Teutones, atq; Ansones.

V I I.

ad Nomen JOANNÆ Sponsæ.

JOANNA Gratiōsa
 In ade Gratiarum
 Vocata gratiōse est.
 Nam gratiōsa vultu,
 Nam gratiōsa cultu est,
 Gestuq; gratiōsa,
 Gressuq; gratiōsa,
 Et gratiōsa risu,
 Et gratiōsa lusu,
 Et gratiōsa saltu;
 Labrisq; gratiōsa,
 Genisq; gratiōsa,
 Oculisq; gratiōsa,
 Comisq; gratiōsa;
 Agnella gratiōsa est,
 Columba gratiōsa est;

Imò palàm fatente
 Livore curioso,
 Candore gratiōso,
 Quàm gratiōsa vina,
 Quàm gratiōsa mella,
 Rosaq; gratiōsa,
 Violaq; gratiōsa,
 Magè gratiōsa Nympha est,
 Nymphisq; gratiōsis
 Magè gratiōsa Nympha est.
 Et Gratiis vel ipsis
 Magis ipsa gratiōsa est,
 In ade Gratiarum
 Vocata gratiōse
 JOANNA Gratiōsa.

ARTI-

ARTIFICIUM LOGICUM
 de illo
 PAULINO PROVERBIO

ad Ephes. 5. v. 28.

Qui diligit uxorem, se-ipsum diligit.

Et vice-versâ itidem piè:

Qui se-ipsum diligit, uxorem diligit,

quod probatur 40. Argumentis.

- E**ST Sui-amor summa virtuti proxima virtus:
 Rectè amat uxorem, se benè quisquis amat.
1. Se benè quisquis amat, se rectè intelligit ipsum,
 Seq; sua uxoris cogitat esse caput.
 Rectè amat uxorem, benè qui se intelligit ipsum,
 Seq; sua uxoris cogitat esse caput.
 2. Se benè quisquis amat, secùm omnia ponderat aqvè,
 Quiq; benè uxorem possit amare suam.
 Rectè amat uxorem, qui cuncta examinat aqvè,
 Et benè qui uxorem possit amare suam.
 3. Se benè quisquis amat, se moribus instruit aptis,
 Uxori ut nequeat displicuisse sua.
 Rectè amat uxorem, qui moribus utitur aptis;
 Uxori ut nequeat displicuisse sua.
 4. Se benè quisquis amat, mala quævis corrigit in se,
 Uxorem offendat ne malè more malo.
 Rectè amat uxorem, qui quæ mala, corrigit in se,
 Uxorem offendat ne malè more malo.
 5. Se benè quisquis amat, non se supra omnia tollit,
 Uxorem fragilem, se fragilem esse sapit.
 Rectè amat uxorem non se supra omnia tollens,
 Qui sese, uxorem qui fragilem esse sapit.
 6. Se benè quisquis amat, non sese infra omnia flectit,
 Uxorem, & sese scit genus esse Dei.

B 2

Rectè

- Rectè amat uxorem se non infra omnia flectens,
 Qui se, qui uxorem scit genus esse Dei.*
7. *Se benè quisquis amat, sua sors sibi sufficit ipsi,
 Et sortem uxoris iudicat esse suam.
 Rectè amat uxorem, cui sors sua sufficit ipsi,
 Qui sortem uxoris iudicat esse suam.*
8. *Se benè quisquis amat, de se fugat omne periculum,
 Uxorisq; sua noxia quæq; cavet.
 Rectè amat uxorem, qui à se fugat omne periculum,
 Quiq; sua uxori noxia quæq; cavet.*
9. *Se benè quisquis amat, rectè sibi prospicit ipsi,
 Et rectè ad numeros format agenda suos.
 Rectè amat uxorem, benè qui sibi prospicit ipsi,
 Qui rectè ad numeros format agenda suos.*
10. *Se benè quisquis amat, constans in limite honesti est,
 Undè Deo constet gloria, & undè sibi.
 Rectè amat uxorem vir honesti in limite constans,
 Undè Deo constet gloria, & undè sibi.*
11. *Se benè quisquis amat, sibi nil proponit agendum,
 Sit nisi quod facile, aut utile, dulce, decens.
 Rectè amat uxorem, sibi qui proponit agendum,
 Quod factu facile est, utile, dulce, decens.*
12. *Se benè quisquis amat, vincit mala dura ferendo,
 Novit & uxoris facta ferenda pati.
 Rectè amat uxorem, qui vincit dura ferendo,
 Qui scit & uxoris facta ferenda pati.*
13. *Se benè quisquis amat, motà placabilis irâ est,
 Et veniam uxori datq;, capitq; datam.
 Rectè amat uxorem, motà placabilis irâ
 Qui veniam uxori datq;, capitq; datam.*
14. *Se benè quisquis amat, modo, quæ sunt vera, profatur,
 Sedq; suam uxorem fallere turpe putat.
 Rectè amat uxorem, qui, quæ modo vera, profatus,
 Qui sese uxorem fallere turpe putat.*
15. *Se benè quisquis amat, rectè sibi nota recenset,
 Et tacet, uxorem quæ tacuisse cupit.*

Rectè

- Rectè amat uxorem, benè qui sibi nota recenset,
 Qui tacet, uxorem quæ tacuisse cupit.*
16. *Se benè quisquis amat, quod scit scitu utile, profert,
 Quæ juxta uxori scit fore grata sua.
 Rectè amat uxorem, qui, quod scitu utile, profert,
 Et si quæ uxori scit fore grata sua.*
17. *Se benè quisquis amat, vir, gestus edit honoros,
 Uxor ut excipiat rursus honore virum.
 Rectè amat uxorem, qui gestus edit honoros,
 Uxor ut excipiat rursus honore virum.*
18. *Se benè quisquis amat, verbis, factisq; pudicè
 Vivit, & uxorem quæq; pudica docet.
 Rectè amat uxorem, qui re, verbisq; pudicè
 Vivit, & uxorem quæq; pudica docet.*
19. *Se benè quisquis amat, sese gnarè excitat ipsum,
 Et studet uxori gnarus adesse sua.
 Rectè amat uxorem, qui se gnarè excitat ipsum,
 Qui studet uxori gnarus adesse sua.*
20. *Se benè quisquis amat, sibi opes cumulare laborat,
 Et parta in proprios erogat ara lares.
 Rectè amat uxorem, sibi opes cumulare laborans,
 Qui parta in proprios erogat ara lares.*
21. *Se benè quisquis amat, chara ipsi est gloria fama,
 Nec famam uxoris non reverenter habet.
 Rectè amat uxorem, cui chara est gloria fama,
 Et famam uxoris qui reverenter habet.*
22. *Se benè quisquis amat, validas in corpore vires
 Is fovet, uxorem recreet undè suam.
 Rectè amat uxorem, validas in corpore vires
 Qui fovet, uxorem recreet undè suam.*
23. *Se benè quisquis amat, sapienti accommodat aurem,
 Uxoremq; monet, sit sapientis amans.
 Rectè amat uxorem, sapienti qui applicat aurem,
 Qui monet uxorem, sit sapientis amans.*
24. *Se benè quisquis amat, colit unum ante omnia IOVAM,
 Atq; unum uxori mandat amare Deum.*

B 3

Rectè

- Rectè amat uxorem, qui amat unum ante omnia **FOVAM,**
Quisq; unum uxori mandat amare Deum.
25. Se benè quisquis amat, frugali victitat esù,
 Et vitam extendit sobrietate suam.
 Rectè amat uxorem, frugi qui victitat esù,
 Qui vitam extendit sobrietate suam.
26. Se benè quisquis amat, casto inflammatur amore,
 Et felix auget prole decente genus.
 Rectè amat uxorem, casto inflammatus amore,
 Qui felix auget prole decente genus.
27. Se benè quisquis amat, se vestit, & ornat honestè,
 Et facit, in totà ut luceat ordo domu.
 Rectè amat uxorem, qui se benè vestit, & ornat,
 Qui facit, in totà ut luceat ordo domu.
28. Se benè quisquis amat, fidos sibi quarit amicos,
 Et vita expediens subsidium omne parat.
 Rectè amat uxorem, qui fidos quarit amicos,
 Qui vita expediens subsidium omne parat.
29. Se benè quisquis amat, spe firma expectat, & optat,
 Qua speranda sibi, quaq; vovenda sibi.
 Rectè amat uxorem, qui firmè sperat, & optat,
 Qua speranda sibi, quaq; vovenda sibi.
30. Se benè quisquis amat, sua vota coërcet in arctum,
 Nil ultra vires, fasq;, decusq; cupit.
 Rectè amat uxorem, qui vota coërcet in arctum,
 Nilq; ultra vires, fasq;, decusq; cupit.
31. Se benè quisquis amat, nullo cunctatur in actu,
 Sed facit officium sponte, lubensq; suum.
 Rectè amat uxorem, qui non cunctatur in actu,
 Qui facit officium sponte, lubensq; suum.
32. Se benè quisquis amat, cautè sua commoda curat,
 Et cautà hostiles effugit arte dolos.
 Rectè amat uxorem, cautè sua commoda curans,
 Qui cautà hostiles effugit arte dolos.
33. Se benè quisquis amat, fretus gravitate serenà
 Admirantium animos in sua vota trahit.

Rectè

- Rectè amat uxorem, fretus gravitate serenà
 Uxoris sensus qui in sua sensa trahit.
34. Se benè quisquis amat, studium illuc dirigit omne,
 Ut dignum dignè munus obire queat.
 Rectè amat uxorem, qui illuc studium excitat omne,
 Ut dignum dignè munus obire queat.
35. Se benè quisquis amat, memor is sibi consecrat ipsi
 Commissio aeternum nomen ab officio.
 Rectè amat uxorem, quisquis sibi consecrat ipsi
 Commissio aeternum nomen ab officio.
36. Se benè quisquis amat, non se curà enecat ipsum,
 Sed novit multis se exhilarare modis.
 Rectè amat uxorem, qui curà haud se enecat ipsum,
 Sed novit variis se exhilarare modis.
37. Se benè quisquis amat, se in duris fortiter armat,
 Rebus in ambiguis tutius intrat iter.
 Rectè amat uxorem, se in duris fortiter armans,
 Qui vel in ambiguis tutius intrat iter.
38. Se benè quisquis amat, praeclere gaudet honore,
 Uxoremq; alias vincere laude jubet.
 Rectè amat uxorem, qui excellere gaudet honore,
 Quisq; uxorem alias vincere laude jubet.
39. Se benè quisquis amat, contendit amabilis esse,
 Et blando uxorem sapè salutari HAVE.
 Rectè amat uxorem, qui intendit amabilis esse,
 Qui blando uxorem sapè salutari HAVE.
40. Se benè quisquis amat, rectis sibi gaudet in actis,
 Atq; intra fruitur corda favore DEI.
 Rectè amat uxorem, rectus qui gaudet in actis,
 Quisq; intra fruitur corda favore DEI.
 Desino plura; meum, GEHLERE, hoc deniq; votum est,
 Te rectè, uxori rectè ut amèris, ama.

Sobislavia Bohemorum meditabar
 pio & amico affectu

MELCHIOR AGRICOLA SiL. Phil.
 & P. L. Ill. mi Gymnasii Rosenber-
 giaci Pro- Rector.

GEHLERUS Medicas Melicasq; ubi combibit artes;
 Phæbus amor noster postea, dixit, erit.
 Laudavit Smintheus; promissaq; fœdera serua,
 Et clarum dixit, nomen ab arte feret.
 Apparent primum promissa; per ardua tendens
 GEHLERUS fama Pierisinq; litat.
 CU TINA prior, mox P R A G A, virum mirata: Rosarum
 Hæredi Cygno deinde placebis, ait.
 Et placuit: Schola GEHLERO Rectore Rosensis
 Paulatim cœpit tollere ad astra caput.
 Ecce autem insidians docto parat undiq; vati
 Vincla, potens hominum vertere corda Venus.
 Parvus amor primò, vires citò colligit; illas
 Nil contra Medicus, nil Panacea, potest.
 Plus herbis ibi verba valent, plus arte ꝑ O ANNA est,
 Plus placitis Medicis Medica poma placent.
 QU ANTU M virgo potest, remora ingens fortibus ausis;
 Sistere parua rates sic Echeneis amat.

M. Joh. Campanus Wodnianus.

Fati & Voti Connubium.

Jucundam satis & satis beatam
 Confido fore conjugationem,
 Si quid sidera pranotare possunt;
 Tuam, Pieridum decus GEHLERE,
 Ac illam Veneris Tua ꝑ O H A N N A E.
 En! huic Dux rutili potens Olympi
 Sol throni solium occupat præ altum,
 Quæ Phryxéo Arietis superbit auro,
 Celsi ut nominis imperet maritum,
 Heroëm q; animum in domo repandã,
 Nec non egregiam undiquaq; prolem.
 SOL idem Tibi, SOL, GEHLERE præstans
 Astrea prope Virginis bilancem

⊙ in 3. V.

⊙ in 11. 2.

Decidens

Decidens radios remittit acres,
 Ut te constituat domo in regendã
 Regem, sed facilem, sed & benignum,
 Et concordia amantem & aequitatis.
 Vita commoda præter hac & illa
 Opto commoda longioris ævi,
 Opto commoda sanitatis alma,
 Et qua quisq; sibi optima optat, opto.
 Sic si sidera quid notare possunt,
 Sic si vota quid impetrare possunt,
 Confido fore conjugationem
 Jucundam satis & satis beatam.

Benjamin Ursinus Gymnasi
 Rosenbergici Mathematicus.

Esse quid hoc dicam? Phæbo datur altera Lampas,
 Lucidius quo nil lucidus Orbis habet.
 Esse quid hoc dicam? Phæbus nisi forsã ephæbus,
 Mutua qui lucis munera poscat, erit?
 Semper erat Phæbus, (at notum est) lampade dives,
 Dives Olympiaco lumine semper erat:
 Solus item poterat tenebras depellere, solus
 Augustam solito reddere more diem.
 Nunc vel inexhaustos incautus perdidit ignes,
 Numine vel Divus quo fuit antè, caret.
 Nescio quid rerum Musarum gloria Phæbus,
 Dum sibi consortem Lampada jungit, agat?
 Tum mihi Musa refer, qua cælorum absita nôsti,
 Uranie, tanta causa sit undè rei?
 Sic ego: sic retulit superarum conscia rerum
 Musa; quid ad tantum es sic stupefactus opus?
 Alma Jovis proles Phæbus, Latonius Heros,
 Phæbus siderei gloria summa poli,
 Post exantlatos vitæ tot mille labores,
 Gaudia terricolis non capienda capit;

C

Et quia

Et quia tot viduos consumpsit in ordine Soles,
 Lampade nunc socium construit ille torum;
 Lampade, formosa qua pulchrior ore Diana,
 Lampade, qua thalamo digna cubare fovis.
 Lucifer hac visa rutilo decessit ab Orbe,
 Visus & est proprium spargere nolle jubar.
 Pulchra suos etiam demisit Cynthia vultus
 Eminus in thalamos hac veniente Dei.
 Sed conjux fovis adventantem excepit funo,
 Et quam-mox visa basia multa dedit;
 Comiter adstanti tandem Regina puella,
 Prae reliquis cura tu mihi, dixit, eris:
 Ipsa tibi vires, & opes ego largiar ipsa,
 Inq. toro quod de recreet, ipsa dabo.
 His dictis; Sponsam deduxit ad oscula Sponsi,
 Sponsus & amplexam cum retineret, ait:
 Hac tibi cordicremas blando solamine curas,
 Dulcibus hac fallat tempora longa jocis.
 Hac te perpetuo complexum prosperet igni;
 Ne lux eclipses sentiat ulla graves.
 Hac funo: hac dedit Uranie responsa petenti:
 Hac ego: felicem Di super Orbe diem!
 Nunc juvet innumeros Phœbum producere soles;
 Lampadas innumeras Lampada ferre juvet;
 Sic erit, ut tandem post maxima tadia vita
 Aurea per mundum sacula rursus eant.

Tobias Felix Misenus Bohemus
 LL. Baronum de Fels, & Schwan-
 berg Vitigoviae Praeceptor.

Ergo certa fides, qui nuper venit ad aures
 Nuncius, Aoni dum cultor amice chori?
 Namq. ferunt molli imperio tum laudis honore
 Te pubem teneram fingere lege patrum.
 Unus erat temerare manus puer ausus iniquo
 Vulnere, nec quamvis mollia iussa tulit;

Pra-

Praeceptoris agens ferro latus hausit apertum,
 Inter & obstantes, pro pudor atq. nefas!
 Mirabar quò sceptras feras, quò jura magistri,
 Plena nec irarum effundere vela sono?
 Cadua turba quidem senio est, plagaq. Chryssippi,
 Et Plutarcho tibi, Quintiliane tibi:
 At non sponte sua caelo se fertilis arbor
 Omnis in ora tulit; vomer agro teritur:
 Nux & asellus iners friget sine verbera, SPONSAE
 Prodere quaq. vetat vel meritum, vel honos:
 Tu quoq. Paonius ferro sanabis & igni
 Obruta jam veteri membra, GEHLERE, situ.
 Fallor, an ignoto tua laesa Cupidinis arcu
 Pectora, qui Superos torruit igne suo?
 Hoc ipsum ut strueret pueri puer induit ora,
 Inter & aequales nempè resedit Amor;
 Cumq. daturus eras solio praepcepta, JOHANNAE
 Virginis accenso fixit amore pio.
 Vivite felices socio sine crimine litis,
 Sic cumulabit honos prole frequente domum.

Wenceslaus Matthæus à Sudetis,
 Budiovicii Bohem.

PHOEBEIA LAMPAS.

Syracides cap. 26. v. 21. & 22.

Sicut purpureo PHOEBEIA LAMPAS amictu
 Exorrens noctis nubila caeca fugat:
 Atque calore fovet vit ali corpora terra,
 Estq. poli summum conspicuumq. decus,
 Haud secus est mulier socio conjuncta marito,
 Quam decorant Virtus & Pietatis Amor.
 Illa viri lato vultu, alloquioq. suavi
 Pectore depellit nubila tristitia.

C 2

Corq.

Corq; viri recreat, mirâ & dulcedine mulcet:

Ornatus domus est, fida columna, basis.

Ergo tibi grator, tali quia LAMPAD Egaudes,

Sponse, precorq; thori quò benè cedat opus.

Ardete & lucete velut PHOEBEIA LAMPAS:

Ecclipses nunquam sentiat alma domus.

Michaël Bartschius Ecclesiastes
Grunavienfis.

Immortale decus, GEHLERE, & nobile sydus

Thespiadum, teneram multis è millibus agnam

Eligis, & jungi tibi vis propriamq; dicari.

Res nova! Pastoris sic nunc quoq; munere fungens,

Fluminis ad ripas per prata virentia ducas

Agnellam tibi commissam, saturamq; reducas.

Et si vota valent, superaddo his vota: tenellos

Pastor ut agnellos numeres venientibus annis

Agnellasq;. Deus votis fac pondus inesse.

Johannes Kyrchnerus Weber-
stadenfis Thuringus.

Getrewte Treu die beste.

Nemo non fidum promittat amicus amorem;

Nullaq; non stabilem jactet amica fidem;

Fida fides magis est, sacram qua spondet ad Aram

Per sacra jura suo nupta juganda viro.

Instillante DEO talem Natura requirit,

Postquam corda sacer spiritus intus agit.

Quod manus AETerni dedit, est durable munus:

Est data ab AETerno firma, tenaxq; fides.

Hac, GEHLERE piis sapiens Praefecte Camenis,

Inq; tuo, inq; tua est pectore fida fides;

Quam lis, quam rabies viventium haud ruperit unquam,

Quam mors sola potis solvere, nec potis est.

Hac

Hac durate fide, & vobiscum gaudia durent:

Ista reor vobis sunt satis, ista precor.

L. M. Q. faciebat

Andreas Vermilius Straconicenus

Civis patritius, & Notarius Publicus.

EIDYLLION NUPTIALE.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus agris

Incipit, atq; vago volvuntur sidera caelo:

Errabam tacita per amica silentia Luna,

Omnia quàm miro rerum Natura creatrix

Ordine discrèrit volvens animo, atq; revolvens.

Ecce CUPIDO puer, flammis telisq; paratus,

Hesperias inter stellas cum matre latere

Conspiciebatur mihi. Jam non amplius ille

Lumine cassus erat, quo vultu secula saevum

Prisca Poëtarum Veneris sinxere puellum:

Ast oculi ardentes, Phœbea Lampadis instar,

Fulgebant; oculos quos Martis, quosvè Diana

Dixisses. Tali confusus imagine rerum

Obstupui, & dubiam traxit sententia mentem,

Cui modo sic faciem mutasset & ora CUPIDO.

Interea à Puerò, multa ac metienda minantur,

Ingentes ira, & gemitus lachrymabilis alto

Auditur caelo; & vox reddita fertur ad aures:

Quid? nequeo? Mene incepto desistere victum?

Quid? potuere Diis geniti? me Juppiter ipse,

Qui mare, qui terras, qui caelum numine torquet,

Me Mars armipotens: & cetera Numina Divum,

Me, mea tela timent; hos omnes ipse CUPIDO

Imperio pressi, & vinculis & carcere duro

Franavi mihi Victori parere coactos.

Et Phœbus, medica qui inventor dicitur artis,

Ardentes Veneris flammis fugisse triumphet,

Et mea tela? An nunc divinum pharvacon haustum

C 3

Tam

Tam multum valeat? qua mentem insania cepit!
 Tam rubro Oceani currum lavat aquore, Nympha,
 Ferte cita flammis, date tela, intendite casses,
 Quem fugias, ludas, delirans Phæbe videbis.
 Dixerat: & sese per inania nubila librans,
 Insequitur Phæbum, & flammis cornu atq; sagittas
 factat: sed Phæbus flammantia lumina torquens
 Per campos virides, per flumina lata, per equor
 Terga dat, atq; fugâ Idæi petit ardua montis,
 Quâ Paridem perhibent suavem duxisse soporem,
 Cui se forma Helenes formâ formosior omni
 Obrulit in somnis, cæcog; cor igniit astu.
 Constitit hic Phæbus: quâ sit sibi nescit eundum,
 Spemq; metumq; inter, Veneris vel vulnere ladi,
 Sive extrema pati: nec erat mora longa manendi.
 Fortè videt subter vicinis montibus **AGNAM**,
 Fluminis ad ripas per pascua læta vagari,
 Carpentem cythisum, & stellata cacumina florum.
 Dii, quam erat hac pulchri & preciosi velleris **AGNA!**
 Lumina fulgebant Phæbeis amula flammis;
 Gratus in ore vigor, cervix humeriq; pedesq;
 Pectoraq; artificum laudatis proxima signis.
 Hanc curâ faciles jurem nutrisse Napaas,
 Inq; suo quondam gremio fovisse Dianam.
 Tendit ad hanc Phæbus, supplex & talia fatur:
 Pulchrior o pulchrâ, precibus si flecteris ullis,
 Ab succurre mihi facilis, vitamq; labantem
 Eripe de flammis, duroq; Cupidinis arcu,
 Et nostros gelido vultus absconde sub antro.
 Totus ego rursus tuus, o dilecta, quid optas
 Explorare labor: mihi jussa capessere fas est.
 Principio dictis orantem talibus illa
 Effugit, impatiens sermonum hominumq; Deumq;
 Ast hic ingeminans sua vota haud segnior instat,
 Exuperansq; moras sequitur dum constitit illa,
 Annuit optatis precibusq;: antroq; recepit.

Tam

Tam tacitum Phæbi pertentant gaudia pectus
 Evasisse manus Pueri, latuisse sub antro:
 Deq; rosis, violisq; hausisse in pectus odores.
 (Nam fuit exstructum variis de floribus antrum.)
 Sapius aggrediens Agnam sic ora resolvit:
 Pulchrior o pulchrâ, mea sola & vera voluptas,
 Supplicis exaudi vocem, Phæbiq; reconde,
 Et serva vultus, te rursus pectore condam,
 Amplexuq; meo harentem per mille forebo
 Secula, nectareis miscens plena oscula succis.
 Vota locum inveniunt. Tectus jacet ille sub antro,
 Atq; horas sermone trahit, multumq; loquendi
 Materia est, pueri repetenti ab origine prima
 Arma, fugamq;: cui arrectis Agna auribus adstat.
 At Puer Idalius servans sub pectore vulnus
 Hic non abstinuit, nec voci, iraq; pepercit:
 Verum continuo saltus sylvasq; peragrat,
 Quasitog; diu Phæbo, acres projicit ignes;
 Deq; sagittifera promit duo tela pharetra,
 Atq; sonante fugat nervo. Volat impete ferrum
 Ingenti: stridetq; rosis ac floribus antrum,
 Saucia sic fiunt duo pectora vulnere ab uno,
 Purpureisq; fluit sanguis de pectore utroq;
 Lilia mox mutant, violaq; rosaq; colorem;
 Sanguineum capiunt, rubra & florescere gaudent.
 Agna (nec est mirum) de inflicto vulnere tristis
 Conqueritur, tacitumq; premit sub corde dolorem.
 Sed Phæbus, licet ipse simul grave vulnus haberet,
 Nil minus his dictis mœrentia pectora mulcet:
 Ne dilecta adeo laceres tua corda dolore:
 Noxia res dolor est, vitæq; Tyrannus amata:
 Crede mihi, cui nulla patent non abdit a rerum,
 Atq; potestates herbarum, ususq; medendi,
 Ipse propinabo, quo non presentius ullum
 Pharmacon, & pulso vulnus sanabo dolorem.
 Hac Agnella animum recreata affamine Phæbi

Letior

*Latior incessit, spem & gaudia fronte serenans
Et toto alternum conspirans corpore amorem.*

*Ergo Agnæ, & Phœbi æternùm duretis Amores,
Æternùmq; meis duretis uterq; Caménis.*

*Honoris & debita observantia
ergò Praga scrib.*

*Michaël Bartschius,
Laubâ-Lufatus.*

Es medicus, (scimus) GEHLERE; patefcit id actis
Omne tuis, qua agitas nos tua facta docent.
Alterius doct à morbis dum consulis art:
Haud minus & propriis ferre peritus opem es.
Nam rerum reputans faciem, vitæq; labores,
Tadiq; & quanti causa futura mali:
Tu medicas adhibere manus, fomentaq; quaris
His; qua ni valeant tollere damna, levent.
Scilicet adjungis vita, sociamq; laboris,
Qua cura requies, qua medicina venit.
Sic Te, sic Sponsamq; juvas: quod mente revolvens
Ecquis te Medici nomen habere neget?
Felix alterius qui non succurrere tantum
Rebus, sed propriis ferre peritus opem est.
Es felix: tendis cautus dum retia, sponte
Decidit in casses AGNA petita tuos.
Est AGNA hac patiens, mitis, sunt pectora lacte
Et non calcet à candidiora nive.
Hinc tibi non duris accrescent gaudia rebus:
Hinc forte adversâ dulce levamen erit.
Hinc latum pulcrâ faciet te prole parentem,
Dum similes fetus fertilis AGNA dabit.
Conditor hoc summus faxit; det fertilis AGNA
Innumerâ possit prole beare gregem.

Michaël Schmidius Gorlicio-Lufatus.

NOVA!

Hac auto

*Hac, puto, mens veterum fuit: at sententia si fors
Dexterior surgit: non ego pugno tibi.
Hoc saltem voveo tediis, Geblere, paratis,
Geblere, ô medica, ô melica artis Honos.
Ignis & unda tibi fiat, qua ducitur Agna:
Augeat & castum prole frequente gregem.*

*M. Elias Cüchler P. Meliff.
Scholæ patriæ Pr.*

Socratis est scitum responsum, quando rogatus;
Sicutatem se ferret, ait: mihi patria mundus.
Non inclusa loco est vita pars optima nostra:
Ampla sed, & longum latè diffusa per orbem.
Prona solo repunt, ad partem abjecta, caduca
Bucera sæcla, suis non egredientia septis:
Et tandem in chaos antiquum resoluta fatiscunt.
Liberiore via fertur vis dadala mentis,
Virtutis Sophiæq; alis, super ardua mundi,
Extra omnes metas: nulla regione locorum
Arctatur: spaciis neq; circumscribitur avi.
Inde, ubicunq; peregrinamur, & hospita tellus
Et patria est sedes: illic benè carpitur atas:
Quò quemvis sua fata ferunt, ubi sistere oportet.
Stella quod in cælo est: id homo ratione sagaci
Obtinet in terris: cæli per inane rotantur
Flammantes mundi facule; non orbe vagantur:
Sed statione locum certa, sortemq; tuentur.
Jupiter (ut fama est) sortitur fata, vicesq;
Humanas volvit: qua vi ventura trahantur
Cuncta, volubilibus ducunt tria numina fufis.
Excitat ingentes procul hinc ad sidera moles
Artificum labor: ambages vaga lumina turbant:
Ut Labyrinthiis è flexibus ire parantes
Eludat perplexus & irremediabilis error:
Ocia qui damnosa terunt, probra gentis & avi:

A 7

444121

ad c.d.

Ad patrium sine laude focum qui turpiter harent,
Non sic affliguntur humi: quis pectora fingit
E meliore luto Titan: palpant vè tenebris
Damnati: hic sese extricat pernice volatu,
Alis è cera natis: elabatur ille,
Errabunda regens tenui vestigia filo.
Hic domus, hac patria esto, ea fati debita tellus:
Currere ubi est stadium pulcra virtutis & artis:
Hic civem esse decet: sua sunt ubi pramia laudi.
Te quoq; GELERUM mentis vis enthea pennis
Subvectum Aonidum, cæcis erroribus olim
Expedit vulgi: natales Lusatis ora,
Czechias hospitium dedit ampla, novosq; propinquos.
Gaude sorte tua: quam dextra fova benigna
Objicit: & patria tibi jure Bohemiam adopta,
Ingenio, genioq; tuo & virtutibus aquam.
Scis, quod quoq; solo rebus natura ferendis
Haude eadem: nec quæq; ferax gleba ubere eodem.
Si qua deflorent, vel non satis omnia votis
Respondent tellure: loco mutata priore,
Transferimus, quis proveniant felicius arvis.
Vivite felices, recteq; valete, GELERE,
Et tua LAMPADIUM: numerosa crescite prole,
Sint, qui vos referant virtutis amore, nepotes.

M. Joannes Falkenhain.

Clariss. Viro

Dn. MICHAELI GEHLERO

S P O N S O.

Candida qua primis es fata expertus ab annis
GELERE; & ceptis semper amica tuis:
Hæc eadem quidni tibi festa Hymeneia, quidni
Hunc tibi crediderim conciliare torum?

In quo Nobilitas Generis conspirat, & Artis:
Nobilis & cœunt pectora bina paris.
Ingenii te Nobilitat præstantia; & amplius
Doctrina ante annos partus & auctus honos.
Nobilium se Sponsa satam de stemmate jactans
Virtutum digno maectat honore genus.
Tu Sponsa dignus; te Sponsaq; digna vicissim;
Nobilis ex aquo laus utriusq; viget,
Utere tam latis, tam faustis utere fati,
Certet & in feros mutua fama dies.

M. Johannes Ludovicus.

PEUCERUS Lusata regionis nonné GEHLERUS?
Phæbus ait: Musa succinnere pia.
Ergo nolimus transmittere vota GEHLERO?
Ergo tedarum non celebremus opus?
Intermittat, ohe! Musarum ἐννεαμυα, Nolippus,
Cui Musa & Phæbus displicuere diu;
Non ego. Cænentis longissima fata GEHLERUS
Nestoris, & tremula tempora vatis agat:
Dulcia cumq; suâ procedat pignera Cajâ,
Qua vultus referant matris & ora patris.
Pluria non scribam. Servassint me pia cæli
Namina, Sponse, brevi fors tuus hospes eris;
Et SOBIESLAVIAM repetam felicibus astris,
WITGOVIÏq; simul pingvia rura soli;
Visa mihi quondam loca & olim infessa: meisq;
Usurpabo oculis teq; tuamq; DEAM;
Quam suavis teretum commendat gratia morum:
Inq; Dei numen religiosus amor.
Sed pono, doctis commendans cætera, pennam;
Ne cygnos inter anseris umbra strepam.

Amico magno, adfina & compatri
honoris ergo f.

Joannes Major Gymnasii
GorL. Collega.

Quod mihi conjunxit magnum Natura GEHLERUM,
Gratulor ipse mihi! gratulor ipse meis.
GEHLERI siquidem mihi consuetudo lapillis
Charior est, Veneti quos habet unda maris,
O utinam! tacito reprimō sub pectore votum:
O utinam! sed plus dicere Musa vetat.

Ingenua Mens Gaudentii,

FINIS.



74.
1606.

EPITALAMIA
Reverendo & docto Viro, Dn.
SEBASTIANO
ALBINO,
Pastori Ecclesie Dittersbachianae fidei,
Secundum Sponso:
&
Pudicissimae Virgini
MAGDALENÆ,
Reverendi, Clari ac Doctissimi
Viri, Domini
CHRISTOPHORI EBERHARDI,
Pastoris Ecclesie Reichenbachianae, in Su-
periori Lusatia, vigilantissimi, Filia, Sponsa:
Boni ominis ergo scripta
(ab amicis bene precantibus,
Anno 1606. Die 14. Novembris.

GORLICHII
Literis exscripta Iohannis Rhambæ.



444122 w w